



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
praxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

§. 2. Quomodo Species & Circumstantiæ exponendæ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

§. 2. Quomodo Species & Circumstantia exponenda?

15. Quoad peccatorum distinctionem, Illa censentur esse *specie diversa*; adeoque necessario distinctè exponenda, quæ sunt contra distinctas virtutes, v. g. fornicatio quæ peccatum est contra castitatem, differt specie ab adulterio, quia hoc est etiam contra justitiam, propter jus, quod maritus habet in corpus uxoris, ac proinde pœnitens debet dicere habui copulam cum persona conjugata: & si ipse sit conjugatus, id exponere tenetur. Item, si peccavit cum persona religiosa, aut habente votum castitatis, aut ipse sit Sacerdos, aut religiosus id exponere debet: quia peccatum hoc habet distinctam specie malitiam contra virtutem castitatis, & religionis.

Eodem modò si furatus est rem sacram aut alium occidit in templo, singula distinctè exponenda sunt: quia præter peccatum injustitiæ, involvunt malitiam sacrilegii specie distinctam.

Et eadem ratione aliorum peccatorum diversa specie malitia distinguenda, & exponenda erit.

16. Circumstantias non mutantes speciem, sed tantum peccatum *notabiliter aggravantes* intra eandem speciem, non esse plerumque necessario confitendas, satis probabilis & tuta sententia est apud *Sylvest. Navar. Vasq. Reginal. Bonac. Lugo de pœn. Disp. 16. Sess. 3.* Leandrum de Sacram. pœn. disp. 8. q. 4. adducentem cum D. Thoma supra 50. Authores, & pro opposita sententia Authores 40. Ratio colligitur ex Trid. Sess. 14. c. 5. ubi declarans necessitatem confitendi

Tom. II.

M

tendi

266 Pars 3. tract. 3. cap. 2. De Integritate Confes-  
tendi omnia mortalia, & eorum circumstantias,  
expressè addit, quæ speciem mutant; ergò satis in-  
sinuat circumstantias non esse confitendas quæ  
speciem non mutant. Imò hoc ipso quo dubi-  
tatur, an Christus talem confitendi legem vo-  
luerit inducere, pœnitens deobligatur; ex illo  
principio, lex in dubio legis latæ non obligat,  
ut ostendimus supra part. 3. princ. 5.

Hinc qui furatus est simul centum florenos  
satisfacit dicendo commisi furtum mortale: qui  
simul pluribus detraxit, commisi gravem de-  
tractionem, &c. Quia furtum v. g. decem,  
aut centum florenorum manet intra eandem  
speciem furti mortalis, etsi unum sit multò gra-  
vius altero. Si tamen Confessarius interroget  
de quantitate peccati, pœnitens debet eam ex-  
plicare; imò consultius est, ut id semper spon-  
te suâ faciat: & hoc necessarium videtur si cir-  
cumstantia talis invehat censuram, vel reserva-  
tionem, vel peccatum supra modum ordina-  
rium sic augeat, ut ejus declaratio faciat ad  
necessariam pœnitentis directionem, restitu-  
tionem &c.

§. 3. *Quomodo distingui debeat Numerus pecca-  
torum?*

17. **P**ro distinguendo peccatorum Numero di-  
cendum Actiones peccaminosas per se  
consummatas, & completas debere in Confes-  
sione distinctè enumerari: ut si quis cum eadem  
plures copulas consequenter habuit, vel si Sa-  
cerdos in statu peccati mortalis continenter  
plures Confessiones audivit, debet earum actio-  
num numerus exponi. Secus, si actiones non  
sint per se consummatæ, sed tantùm referantur  
tanquam